Hussoviani Nicolai: De vita et gestis Divi Hyacinthi opusculum.

(Crac.) in aedibus Hier. Victoris. 1525.

DE VITA ET GESTIS DIVI Hyacinthi, Opusculū Nicolai Hussouiani.

Constat in hystorijs clare, quia tempore prisco,
Hæc fuit in magno semper honore domus.
Et nūquam caruit, quorū uirtute niteret,
Non mirū, solitos si tenet alta gradus.



SPECTABILI ET MAGNIFICO DOMINO CHRISTOphoro de Schidlouyecz, Palatino & Capitaneo Cracouien. ac Supremo Regni Poloniæ Cancellario &c. Nicolaus Hussouianus S.D.

COgitanti mihi Spectabilis & Magnifice domine, cuinam hoc opusculum de Diuo Hyacintho per me factũ, dicandũ esset, primus, & quidem tanto rerũ comitatu occurristi, ut sine graui etiã culpa præteriri non potueris. Nam supra ingentes uirtutes tuas, non hoc tantum, quia cum diuo Hyacintho eadem domus eademq; armorum insignia tibi sunt, sed etiã illud accessit, quia deuotissima tua in hunc sanctũ reuerentia, ita nota est, ut nec tegi possit nec dissimulari. Quod autem de hoc uiro tam breuiter scripserim, & ex longa operum serie, breuissima quædam delegerim, non mihi sed fortunæ, quæ me oppressum diu tenet, tribuendũ est. Retineatur tamen quocunq; modo Diui Hyacinthi memoria. Nescio enim, an cuiusquã in hoc regnũ maiora eius meritis extent, qui doctrina, exemplis, miraculis, & maximis suis laboribus, rem Polonam in Christianitate non satis tunc adulta, idolatriæ plena, ritibus monstrosis non tantũ uiciata, sed & ipsa infecta, ita stabiliuerat, ita in fide Christi firmauerat, ut in omnibus statibus, altissimæ uirtutis exempla inuenirentur. Et ut minores ordines præteream, Quid fieri potuit Boleslao pudico Cracouien. Quid Colomanno Halicien. duce, absolutius, qui tempore Diui Hyacinthi, in ætate florentissima, in turbido diuitiarum & magnæ potentiæ strepitu, habentes ex regia stirpe coniuges, ut genere ita forma insignes, suam & ipsarũ perpetuam uirginitatẽ seruare, & absq; hæredibus mori, quã illecebris dica mũdanis maluerũt, tantũ illius doctrina, & sanctimonia proficere. Nec tam suo tempori, quã toti posteritati robur Diuus Hyacinthus ingenerauerat. Horrenda siquidẽ uertigo rerũ, eius mortem secuta fuit. Nam & duces qui tunc nationi Polonicæ præsidebant, acerrimis adinuicem bellis collidebantur, & cũ Tartaris, Lithuanis, Massagetis quos Samogitas uocamus, cum Ruthenis, Pomeranis, Prutenis, & alijs gentibus, quorũ nomẽ & memoria per Polonos deleta interijt, & cũ ipsis interdũ Germanis pugnatũ est, adeo quidẽ periculose, ut altero anno post obitum Diui Hyacinthi Tartari nostrorũ inquietudine freti, Sandomiriã & cũ arce occupauerint et populati sint amplissimas Poloniæ regiones, nullo genere crudelitatis intermisso. In illa tamẽ miserrima temporũ cõditione, tam firma fuit religio, diuinus cultus tam feruens, ut tum quoq; sancti uiri, sanctæ fœminæ, & sanctæ uirgines maxima etiã edentes miracula, nõ deessent. Tantũ Diui Hyacinthi doctrina in oẽs regni partes diffusa cõstantiæ dabat. Cõuenit igitur ut in his fidei sacræ tumultibus Hyacinthus quoq; legatur. Sciaturq; ꝙ sicut tũc Christi religio, illũ, cũ Iuone patruo multarum ecclesiarũ fundatore ac dotatore, de domo uestra, fidissimum habuit instauratorẽ, Sic te nũc charissimi Germani auxilio fultũ, habet fortissimũ defensorẽ, & iũctissimũ consiliariũ Serenissimo Regi, cuius magnanimitate & prudẽtia, totũ sacræ fidei robur, adeo est in hoc regno munitũ, ut ipso uiuente nec hostiũ armis, nec hæreticorũ prauis adinuentionibus possit unquã conuelli. Quẽ deus omnipotens nobis, illi uero te, sanum & incolumem præstet. Vale, diuiq; Hyacinthi, ut cœpisti, causam prosequere.

DE VITA ET GESTIS DIVI HYACINTHI.

DVm ſacris calamos rebus miſcere profanos,
Et tua geſta, legens e multis pauca referre,
Diue Hyacinthe paro, uires intende puſillas
Et rege, teq; tuæ genti permitte legendum,
Humanæ non laudis egens, non ut tibi curæ
Gloria mortalis fuerit, qui ſede potitus
Etherea, magni frueris mercede laboris.
Propter eos memorare ſinas, quæ geſſeris olim,
Quos procul a recto ducit temerarius error
Tramite, perpendant tua quid ueſtigia nobis
Tot ſignis impreſſa notent, certũq; ſequendi
Exemplar, tanto fatorum in turbine profer,
Cernere te ut poſſint tenebris immerſa profundis
Pectora, cœleſti cœleſtia uoce docentem.
Quæ ſi defunctis uitam præſtabat, & ægris
Tam celerem morbi requiem, ſubitamq; ſalutem,
Forſan eos quorum deliria proxima ferueut,
Exitio populi, quorum grauis æſtuat ardor,
Vt cupiant adeo peſſundare cuncta, mouebit.
Vel ſaltem excutiet populi de mente Poloni,
Ne, ſyncerus adhuc, uicina peſte laboret,
Sed potius teneat firmoq; in pectore ſeruet,
Quæ noſtri ſub te patres, didicere magiſtro,
Et quoniam noua quottidie miracula cernunt,
Quæ ſine fine gerit per te diuina poteſtas,
Qui neſcit ſciat hinc paucis, tua quæ ſit origo,
Quis patriæ locus, & quæ uitæ norma beatæ.
Hæc modice attingens breuiter percurrere nitar,

Figendam ut tumulo possent implere tabellam,
Vtq; moram properans nequeat culpare uiator
Prospiciam. Si plura uoles cognoscere lector,
Non graue sit ueteres fidosq; reuoluere libros,
Nam pia simplicitas & fraudis nescia patrum,
Multa uiri nobis uitæ monimenta reliquit.
Multa etiam præsens iuratis testibus ætas
Comperit, atq; palam nulli dubitanda notauit.
Imprimis igitur patriæ loca nota sequamur.
Exortus fuerat quadam regione Polonus.
Opoliæ, uillam lapidis cognomine dicunt,
Qua uocitatus erat patrio Camensis ab ortu,
Nobilis ex armis, quæ nomine dicta uetusto
Excoriata notat serpens, hæc nunc quoq; regno
Est satis insignis domus ac opulenta Polono,
Præcipuaq; uigens magnorum laude uirorum,
Vix etiam maior titulisq; insignior extat
Seu quis opes altos seu quis perpendat honores.
Ipse Hyacinthus erat teneris coniunctus ab annis,
Iuoni patruo, hoc mores formare magistro,
Et consanguineo iuuenilis cœperat ætas.
Nam fuit hic Iuo uir prudens, artibus ingens
Et uirtute grauis, magnoq; insignis honore
Cracouiæ præsul, Qui postquam magna nepotis
Incrementa uidet, cuius prudentia uirtus
Ingenium, grauitas, maturos uinceret annos,
Accipit in gremium fratrum, non sanguinis ulla
Non ratio est attenta domus, quæ sæpius effert
Indignos & nil penitus uirtutis habentes,
Vt tantũ caderent animi grauiore ruina.

Attonitus ſolo raræ probitatis amore,
Hunc Iuo Antiſtes promouerat, inde modeſtis
Sumtibus externas inſtructum miſit ad artes.
Illic impendens doctrinæ tempora ſacræ
Qua res diuinas ſenſu comprendat acuto
Inuigilat, ſummam commendans moribus artem.
Humanæ & pariter diuinæ dogmata legis
Huc referens rediјt doctiſſimus, atq; fauore
Percelebris populi. Paruo poſt tempore Romam
Cum patruo uenit, tum certa negotia templi
Acturo, pietas pectus iuuenile trahebat.
Sed tum forte, ſuam rem diuus Dominicus egit,
Vt ualidum robur Romanæ ſedis haberet
Legitimoq; ſub imperio quærebat ut eſſet
Regula, quam primus magno plantabat in orbe.
Vtq; uiri uirtus fieret manifeſtior illic,
Ipſa cardinei quendam patris urbe nepotem,
Defunctum ad uitam per fortia uerba reduxit.
Vidit ut hoc Iuo fidi paſtoris adimplens
Officium, ad ſanctum patrem peruenit, & orat
Vt fratres aliquot mittat, quos ducere ſecum
Ad patriam poſſit, quibus hic authoribus ordo
Fundetur. Nullos uir ſanctus dixit habere,
Sed ſibi det de gente ſua quos uellet, ut illos
Acceptos doceat, ſi qui ſunt talibus apti,
Et placitura deo ſi quorum pectora nouit.
Sunt ait hic, nec enim prauis comitantibus iſſem
Tam procul a patria, numerum modo profer, at ille
Tres ſatis eſt inquit, tandem uenerabilis Iuo
Ceſlaum, ſimul Hermannũ dedit, atq; Hacyinthũ,

Actaq; res illic fuerat, post mille ducentos,
Sedecimo numerans a partu uirginis, anno,
Quando uiri nigros super induxere cucullos.
Quos ita uir sanctus postquam uestiuit, & altis
Moribus excultos, anno dimiserat acto
Iuoni, doctos & normam rite professos.
Vrbe abeunt sacri spargentes semina uerbi.
Res noua permouit populos, lateq; uagatur
Sermo dei, cuius facundia motibus arsit,
In Frisacensi claustrum prius urbe locarunt,
Successuq; nimis celeri, statuere probatos
Præsbyteros, Hermannus erat præfectus in illis.
At duo Cracouiam ueniunt, grateq; recepti
Constituūt templum, fratres cumulantur, & ordo
Instruitur uitæ durissimus, ipse Hyacinthus
Aspera pane & aqua se per ieiunia tendens,
Nodosis solitus corpus laniare flagellis,
Liuida fumanti turpabat membra cruore,
Sic animo cogens corpus parere subactum.
Tam precibus uigilans, ut totis sæpe diebus
Absumptis, totas prolixa precatio noctes
Continuet, nec cura cibi poscente subibat
Tempore nec potus, dum sacro perstat in actu.
Cuius mos fuerat, si quando uidit egenum
Aegrotum, miserum, seu quauis sorte grauatum,
Aut flentem, subito flens acriter ipse recessit
Ad latebras templi, quod si procul esse uidebat,
Ibat, & attendens quisnam secretior illic
Sit locus, hoc genibus flexis orabat, acerbos
Tum lachrymis fundens gemitus, ut maximus alta

Despiciens ex arce Deus, miseranda leuaret
Pondera fortunæ, mœstos augentia luctus,
Et clemens homini solatia præbeat illi.
Talia communis populi patronus agebat,
Sola nocte preces agitans, totisq; diebus
Sermo dei cuncta populum regione pererrat.
Et dum sollicite communibus incubat actis
Nox erat assumptæ qua festum uirginis instat,
Hac templo uigilans in contemplatibus altis,
Anticipat precibus diuæ solennia matris.
Ecce autem lux in tenebris immensa refulsit,
Aspicit, ut genitrix Christi se desuper infert,
Cœlesti comitata choro, altariq; resedit,
Ante quod ipse suis precibus pendebat. At illa
Care inquit fili, gaude, nam grata meo sunt
Nato quæ geris, & quæcunq; precaberis illum
Per me cuncta feres Hyacinthe, parumq; morata,
Cum fulgore suo sursum sublata recessit.
Dixerat ipse suis paulopost fratribus illud,
Tam pulchro cupiens animos incendere uisu,
Vt libeat cunctis diuæ seruire parenti.
Inde pium pectus subijt fiducia maior,
Multa suis audet precibus, multisq; latenti
Officio prodest, quos sors humana grauabat.
Maxima iam passim per eum miracula fiunt.
Petrus Prosouius, fluuio qui Vandalus illo
Tempore, rectius hoc qui Vissula dicitur æuo,
Mersus erat, miles præclaro nobilis ortu.
Magno concursu populi quæsitus in undis
Atq; repertus erat, iacuitq; informe cadauer,

Præuius, & multis ualidum ſpectantibus amnem
Tranſijt, optatumq; locum cum fratribus intrat,
Inde profectus abit, lateq; perambulat orbem.
Præcipue gentes ubi linguæ calluit uſum
Irrequietus adit, ſuperatq; Boryſthenis alueũ,
Qua ſe frugiferis ingens Roxania campis,
Tendit in immenſum rerum ditiſſima, tandem
Kiouiam uenit, templum fratreſq; locauit
Ordinis iſtius, iamq; inſtaurata recepit
Relligio uires. Nam Pauli dogma ſecuta
Gens fuit, & nondum perfectum robur habebat
Sancta fides in ea, tum primum lumen adepta,
Quando uiri late ſonuerunt uerba beati.
Vtq; foret populo ſermo magis utilis illi,
Addita firmabant dubias miracula mentes.
Sed cito fama uiri tota regione cucurrit,
Verba dei cupide ſunt omni gente recepta,
Quæ magno quartum ſtudio produxit in annum.
Cunctaq; recta uidens & firma in gentibus illis,
Templa dei multo paſſim reſonantia cultu,
Ad patrias iterum ſtatuit decedere terras.
Non ſecus ac proprium regio deſerta parentem
Flebat, iamq; ſuis cœpit diffidere rebus,
Dum ſe deſtitui tanto uidet orba patrono,
In cuius precibus pacem ſperare ſolebat,
Quamuis immineat ſæuus ceruicibus hoſtis,
Iamq; ualedicens, monitus pro pignore linquit
Fratribus & populo, doctrinæ ſemper ut eſſent
Acceptæ memores, quam per tot tradidit annos.
Sic abijt pro ſe Godino fratre relicto.

Magna etiam nostro durant monimenta sub æuo,
Præcipuumq; illic Hyacinthi nomen habetur,
Et resonat sacro titulus baptismate creber.
Sub quo, gente in ea, celeberrima templa uideri
Ditia muneribus, cultuq; frequentia possunt.
Magna libens quædam taceo, quæ gesserat illic
Dum nequeant per me nisi pauca domestica dici,
Pars maior proprijs libris congesta legatur.
Quæ populi multo passim uersatur in ore,
Per uarios etiam terrarum nota recessus.
Prò dolor hic iacuit multos neglectus in annos.
Sic solet in patria uilescere quisq; propheta.
Contigit hoc Christo, non est mirabile quando
Cernitur in famulis. Sed nos incuria patrum
Degrauat, atq; utinam nostro contingat in æuo,
Dum non furtiue, sed apertis poscere uotis,
Tam certam possimus opem, passimq; canantur,
Et resonent templis, quæ sic suppressa latebant.
En ego confiteor, non paucis proximus annis,
Nesciui quis erat, donec prostratus & æger
Edidici, tamē hæc quæ sunt incepta sequamur.
Kiouia tandem Gdanam uenisse relicta
Constat eum, maris oceani qua littora feruent,
Externis ualidam complentia mercibus urbem.
In qua (more suo) claustri fundamina iecit,
Firmans mirandis labantia pectora gestis.
Ordine composito, tandem fuit inde profectus
Ad patriam, cuius magno reuocatus amore est.
Cracouiam uenit tota gratissimus urbe.
Fama subit mentes horum quæ gesserat ante.

Insignis sermone dei loca multa peragrat,
Instituens populos, communis cura salutis.
Pectore peruigilat, nusquam miracula cessant,
Vt sua non desint diuino pondere uerbo.
Venerat ad quandam uillam, quã nunc quoq; prisco
Nomine Costelium dicunt, segetesq; coloni
Grandine concussas flebant, quas desuper alta
Turbo ruens glacie, totis contriuit aristis.
Hiq; rogant ab eo rebus solamen acerbis,
Iamq; fame dicunr misera moriemur. at ille
Flere uetans orare iubet. tum nocte peracta,
Crastina lux aperit reparatas ordine messes,
Nullaq; uisa grauis fuerant uestigia damni.
Cum lachrymis ad eum quædam Felicia uenit,
Nobilis atq; grauis matrona, hæc iuncta marito,
Iam tum uiginti sterilis permansit in annos.
Dumq; ideo despecta foret, rogat anxia sancti
Auxilium cœleste uiri, ne prole careret.
Ille redire domum iussit, solatia pandens,
Namq; ait insignem natum paries, & ab eius
Semine pontifices prodibunt atq; potentes.
Res fuit euentu uerbis constante secuta.
Et duo sunt pueri, quos Vitoslauia mater
Ediderat geminos insignis fœmina cœcos,
Et septem turbata domi nutriuerat annos,
Hoc orante uiro perfectum lumen adepti.
Actaq; res sub monte fuit, qui continet arcem
Cracouiam, quando sermonem Hyacinthus adibat
Acturus populo, qui multus uenerat illuc.
Nam Stanislai translatio martyris ipso

Festa die celebrata fuit, longinquaq; plebes
Viderat hoc factum, quo res illustrior esset,
Et doctrina uiri magis auctum robur haberet.
Mersus item puer est fluuio qui nomine Rhaba
Dicitur, insignis matronæ filius, illa
Prebislaua fuit patrio de more uocata.
Quæsitus nulla reperiri parte ualebat,
Nam tumido flumen fuit intractabile cursu.
Tunc Hyacinthus eo uenit gratissimus hospes.
Cuius ut ante pedes genitrix abiecta iacebat,
Hinc abit atq; orat, ripæ mox sponte cadauer
Aduerso fluuio currens impellitur, inde,
Ponitur in sicco, ueniensq; resuscitat illud,
Talia multa gerens nimis admirabilis orbi
Arctoo, postquã procedere singula magno
Profectu uidit populi, curamq; salutis
Omnibus inductam, rectissima pectora fratrum,
Vnde ruant late diuini semina uerbi.
Cunctaq; iam sine se quando fore firma notasset,
Decessum magnis precibus mortemq; petiuit.
Dissolui cupiens & se coniungere Christo.
Audierat deus omnipotens hæc uota precantis.
Extremumq; diem famulo prædixit & horam,
Assumptæ festum ueniebat uirginis, in quo
Cœlitus ostensum & prædictum tempus habebat,
Præueniensq; diem, caros ex ordine fratres
Alloquitur, iam se diuinitus esse uocatum
Nunciat, inculcans non paucis hæc tria uerbis.
Este humiles quæso, per mutua semper amoris
Vincula coniuncti, sic paupertatis habete

Suſceptæ ſtudium, ſitq; unica teſtamenti
Iſta mei ſeries, nam quæ dedit ordinis author,
Hæc etiam uobis moriēs præcepta relinquo.
Vtq; dies uenit, quam fratribus ante notarat,
Orando poſtquam ſolitas expleuerat horas,
Et ſacramentum læto cœleſte recepit
Pectore, mortuus eſt fratrum plorante caterua.
Mille ducentenos tunc quinquageſimus atq;
Septimus excepit menſuram temporis, annus,
Quando deo gratæ ſoluit retinacula uitæ.
Dumq; ſepultura eſt populo celebrata frequenti,
Inciderat noua res, quo mors inſignior eſſet,
Et quo pectoribus doctrina tenacius hæſit,
A ſancto percepta uiro. Nam forte Zegottus
Nobilis & præſtans iuuenis, uerſare furentem
Cœpit equum, latoq; ferox decurrere campo.
Et qua proſpectus lætos Clepardia tendit
Planicie, ſimulachra ſibi uerſabat equeſtris
Conflictus, caſuq; graui concuſſus, in ipſo
Expirauit agro, multumq; parentibus infert,
Et conſanguineis inopina morte doloris.
Quem multi ad tumulum luctu reſonāte ferebant.
Tempore non paruo iacuit perlatus, & omnis
Confluxit populus, uelut experientia tanti
Non ſit nota uiri, cunctis dubitantibus, inter
Arctatos tumidum iacuit liuenſq; cadauer.
Et graue murmur erat, nil iam ſupereſſe ſepulto,
Extinctum gelida uiuentis morte uigorem.
Sed tamen expectant quo ſe res fine reſoluat.
Poſtquā una ad tumulum iacuiſſet & amplius hora,

Iam deſperatus,ueluti depreſſa profundo
Membra leuat ſomno, quædam miranda locutus
Defunctiq; palam magnos narrabat honores.
Exhortans cunctos,ut pectore uerba tenerent
Illius memori,uere diuina fuiſſe
Omnia quæ dixit,uel toto tempore geſſit.
Et dicens ſummo grates laudeſq; tonanti,
Integer, & multis illinc comitantibus iuit.
Non paucis etiam ſe poſt ſua fata uidendum
Præbuit hic ſanctus,uita ſpecieq; ſuperna.
Idq; fidem populi firmauerat ante uigentem
Sponte ſua,cuncti certatim uota preceſq;
Inſtituunt,rebuſq; ſuis ſuccurrere totis
Viribus inſiſtunt,quos ſors onerabat acerba.
Euentuq; leui contingere multa uidebant.
Inter quæ mulier paralyſi tacta,ſemeſtri
Tempore decumbens,mox ut portata iacebat
Ad tumulum,pedes hinc populo mirante receſſit.
Quando Boguſlai langueret filius hydrops
Militis,& ſpeciem iam iam morientis haberet,
Nec pater auxilij quicq̄ ſupereſſe uidebat,
Vouit eum ad ſancti tumulum, ſimulatq; fuiſſet
Illatus,ſubito ſanus ſurrexit,& inde
Digrediens alacer læto cum patre receſſit.
Nobilis alterius proles fuit unica patris
Filius,indulgenter eum lauteq; fouebat.
Decubuit lecto,poſt paucas mortuus horas.
Quem ſua concurſu magno uicinia flebat.
Ad tumulum tamen hunc mœſti uouere parentes
Defunctum,media qui tandem nocte reuixit.

Tempore cuncta suo fuerant notissima teste,
Fida ministerio pollens uirtute puella,
Cuidam matronæ teneris adiuncta sub annis
Seruierat, uitulumq; dari sibi forte rogarat,
Qui datus est, manibusq; suis hunc sedula pauit,
Donec uacca foret. cũctas statuebat in illa
Paupertatis opes, & tandem mortua mouit,
Ingentes miseræ lachrymas, cursimq; tetendit
Ad sancti tumulum, firma spe nixa petiuit
Auxilium, tanti quærens solatia casus.
Dum redit, excoriata fuit iam parte iuuenca,
Et uelut aduentu dominam sentiret in ipso,
Sic se præripiens, Lanio fugiente, cucurrit.
Integra, nec referens laceræ uestigia pellis.
Dicere si uellem per iuramenta coactos
Vera loqui testes, quibus affirmare licebat
Omnia quæ scribo, uel quæ longissima linquo,
Vix ualeat noster comprendere nuda libellus
Nomina, resq; foret nimis importuna legenti.
Si cæcos, claudos, surdos, linguæq; carentes
Officio, uarijs si languida corpora morbis,
Complecti uerbis aut expirantia uellem,
Quæ meritis huius sancti sanata liquebat
Perfecte, & nulla languoris parte retenta.
Non possem tenues in eo contendere uires,
Qui mihi cum longis rebus nihil esse uolebam.
Prætereoq; libens, quoties letalia multis
Vulnera sanauit, uel sparso fracta cerebro,
Vel procul abscectis iterum coeuntia membris,
Plurima dum cupio nimium breuis esse relinquo,

Et quæro celerem uerbis imponere finem.
Vt tamen ex istis perpendi cætera possent,
Quæ sunt innumeris manifeste testibus acta,
Et populum fama passim diffusa per omnem.
Plusquã triginta defuncta cadauera uitæ,
Tam uiuens dederat q̃ post sua fata, fugaci.
Totq; uirum factis insignem summus ab alta
Reddidit arce deus, tales exauxit honores
In terris, tam multa gerens miranda per illum,
Declarare uolens orbi, suffragia quantum
Ponderis obtineant in cœlo semper eorum,
Quos sibi participes Christus, regniq; paterni
Esse cohæredes uoluit, quos fœdere iunxit
Sanguinis innocui, pariter diffudit in illos
Vim patris, humano tendens sub nomine robur
Diuinum, cuius de nutibus omnia fiunt.
Illud erat quondam prædicere, uos estis dij,
Nam ueluti summo sunt insita membra tonanti,
Quorum magnificum caput est & nobile Christus.
Quo nihil est quod eos non posse authore putemus,
Infixis etenim grandes hoc uite feruntur
Palmitibus fructus, in eis sua robora profert
Filius, ut genitor totum se fundit in illo.
Et dum se nobis adeo cœlestia miscent
Vt sacer humanis impressit uincula rebus
Sanguis, & astrinxit magno mortalia nexu,
Miror inhorrescens, quidnam sibi uelle uidetur
Hæc noua relligio, uibrans authore Luthero
Sacrilegas leges, templis ut detrahat auri
Quicqd habet, superos precibus uetat esse colẽdos.
Et uelut indignos sacrato limine pellit.

Nec ſua permittens diuæ ſolennia matri,
Quæ ſancti ſtatuere uiri, cantuq; frequenti,
Tempore tam multo coluit longeua uetuſtas.
Et celebrat laudes totus communiter orbis.
Quinetiam gentes quamuis neq; dogmata Chriſti
Optima nouerunt, matri ſua uota preceſq;
Inſtituunt, & opem uerbis ac mente requirunt.
Ipſaq; terribilem ſtupefacto dæmone clamant
Tartara, quam ſemper metuunt uireſq; fatentur
Vſq; adeo noſtræ laqueos terit illa ruinæ.
Commoda ſolus homo ſua nondum ſcire uidetur.
Præſtituunt fines, intra quos ſumma poteſtas
Contineat robur, nec ſe per ſingula fundat,
Nec ſua ſanctorum manibus permiſceat acta.
Tanquã diminui complectens omnia poſſet,
Quando per innumeros longe pleniſſima riuos
Labitur, ex uno tantummodo fonte profecta.
Et quaſi cuncta fouens, & uiribus omnia complens,
Se minor eſſe queat. Sed dum nec creſcere poſſint
Talia nec minui, ſunt ſumma ac integra ſemper.
Huic ne ligare manus, qui pugno comprimit orbẽ?
Prodiga lingua paras, quid ei præſcribere fines,
Extra quem nihil eſt, uano molimine tentas?
Scilicet iccirco demortua corpora uitæ
Reſtituit deus, aut morbis infracta refirmat
Sanctorum manibus, populo ſpectante frequenti,
Falleret ut uulgus miſerum. Sic forte zophiſtas
Cœleſtem patriam ſolos intrare neceſſe eſt.
Puraq; ſimplicitas inferno truditur orco.
Nemo tamen dubitat rem per contraria uerti.
Non opus eſt logicis abſoluere ſenſibns iſta,

Quæ sunt nota satis cœlestibus argumentis.
Sed mirum non est, si quos furor impius aufert,
Et procul a recto diuersos tramite ducit.
Mens stupuit, ꝙ tam tenui diuellimur aura,
A ueterum ritu, quem constituere probati et
Insignes uirtute uiri, pro quo sua diræ
Corpora permisere neci, magnosq; labores
Sunt super hoc passi, quorum monimenta per orbē
Cernimus, & ne res cuiquam dubitabilis esset,
Cælitus acta fidem firmant miracula nostram.
Et satis ostendunt, nihil his erroris inesse,
Quæ nostri multos patres tenuere per annos.
Heu quam lapsa leui uento & conuulsa feruntur,
Solo fautorum numero, qui turbine rapti,
Templorum spolijs inhiant, sperantq; rapinas.
Dumq; subesse uolunt nulli, dum cuncta licere
Permittiq; sibi cupiunt, sub imagine recti,
Insidias statibus magnis intendere pergunt.
Sede sacerdotes alta depellere primum
Aggressi, tandem re succedēte, prophanis
Principibus, stolidæ uires incumbere plebis
Sponte sua incipient, facilis uictoria, multis
In paucos simul irrumpentibus, illud in ipsos
Quod uotis aluere malum, lætiq; ferendo
Firmauere satis, cito post migrare necesse est.
Vt fati series, & temporis ordo requirit.
Falluntur quicunq; sibi promittere finem,
Rebus in his facilem sine fluxu sanguinis, audent.
Ingentes odij motus, furibundaq; uulgi
Pectora commoti proceres saciabitis ante,
Cædibus innumeris, quam res incepta quiescet.

Quam poterit noua secta suas attingere metas,
Quas sibi proposuit, quas stulto pectore uoluit.
Sic res & merito per uos neglecta luetur
Ni deus illorum prauis conatibus obstet,
Cunctaq; ni legum teneat labentia frena,
Monstraq; communem reprimat spirantia pestem.
In mundum Christus ueniens legatus ab alto,
Naxima per proprias edens miracula gentes,
Non potuit mentes hominum perducere, rectum
His ad iter monitis, quæ sunt a patre profecta.
Cur ita? nam mundo contraria quæq; docebat.
Ecce hominem cursim post unum cuncta feruntur.
Dulcia dum profert, ostendens mella, sed altam
Fellis amariciem uincentia, si modo finis
Et cum principijs possent uentura uideri.
Nõ ut cuncta adeo placeãt, quæ prisca tenemus,
Cunctaq; displiceant, quæ uult inferre Lutherus,
Mos est mixta bonis mala uendere, sed sine sensu,
Sed sine respectu quouis, & prisca relinqui
Et subito noua quæq; rapi conterritus odi.
Nanq; timor subit, atq; malũ mens concipit omen,
Venturumq; breui uereor, dum lapsa ruinam
Relligio trahat ingentem, contraria uero
Dum capient robur, magno & firmentur in orbe.
Prestabat ueteres ritus, per uincla teneri
Fortia, q̃ quæuis specie meliora subire.
Atq; aperire uiam, qua quæuis pessima currant.
Si fera custodes pellat uiolentia fortes.
Non procul a nobis colubros uenerantur, & altis
Arboribus libant homines, in flumina fruges
Proijciunt, numenq; dei fluuialis adorant.

Ludere quem per aquæ contorta uolumina cernunt.
Et ne uana fides temereq; exorta putetur,
Voluitur & totis uox horrida murmurat undis.
Arbitrioq; dei fortunæ commoda uerti,
Fœturæq; gregis credunt momenta teneri
Illius, ut taceam deliria cætera gentis.
Isti post aliquod tempus, sua sacra nepotes
Instituent nostros, postquã uestigia nulla
Templorum, tota patrum regione uidebunt.
Vel nil quod mentes moueat, quod lumina pascat,
Et quod suspiciat plebes, cernetur in illis.
Propterea patimur picturas, organa, cantus,
Et diuersarum ferimus modulamina uocum,
Carminibusq; sacris aures mulcemus inertes,
Vt puer hinc etiam primos insuesceret annos,
Et cum lacte suæ fidei primordia sugat,
Quæ pariter tenero sumant cum corpore uires.
Auratas uestes atq; aurea uasa sacramus,
Vt teneant animos, donec præcepta salutis
Concipiant, uerbumq; dei firmetur in illis,
Atq; suos semen faciat cum tempore fructus.
Sic olim Christus sua per miracula turbas
Detinuit, formans animos sic corpora pauit.
Cœlestes solitus rebus miscere prophanis.
Interdum blanda uerbi dulcedine mentes
Leniit, interdum sæuo terrore grauauit.
Terribiles addens post maxima præmia pœnas.
Nec nisi terrenis utens cœlestia nobis
Tradidit exemplis, caute uersabat inertes
Mille modis animos, modico ne rumperet egit
Cum diuis flexu, paulatim corda subintrans.

Monſtrauit qualis foret optima forma docendi.
Et uelut author erat ſanctis, qui plurima templis,
Pene ſuperuacuo ritu ſeruanda dederunt,
Propter eos quorum res non ſatis eſſet adulta.
Perfecti rudibus concedere talia poſſunt,
Dum ſoleat Chriſtus magnis præferre puſillos.
Turcis relligio ac Iudæis priſca manebit,
Quam natis etiam commendet ſera uetuſtas,
Et magis atq; magis ſemper ſua robora tollet.
Nos pecorum in ritus, paucis mutabimur annis,
Quando inuenta patrum templis emota ſilebunt.
Miſſarum totus quando delebitur ordo.
Hoc erat ut terras ſermo diuinus obiret,
Inculcans longis ſua uerba laboribus, inter
Effrenes populos, ut tandem recta ſequentes,
Præcipiti ſtygius peruertat turbine uentus.
Diuus Dominicus an poſt tot damnabitur annos,
Franciſco cenſor delabitur hic nouus, idem
Et Bernardinis, res eſt damnoſa, cucullos
Detrahet, ut ſtudeant mundo conformia ferre
Compita liberius peruadant luſtra, popinas,
Ne quid eis habitus notum diſcrimen obeſſet.
Matronis itidem ſua iam uelamina demat,
Subiectas proprijs etiam uetet eſſe maritis,
Ne quid adulterijs & factis turpibus obſtet.
Sola ut libertas ſcelerumq; licentia regnet.
Clauſtra relaxentur tanto ſecura ſub æuo,
A ſanctis fundata uiris, habitata per ipſos,
Moribus aucta bonis, exemplis horrida duris,
Quam leuiter pereunt, ſic inſtigante latronum
Signifero, cæci obſequimur, rapit improba prædæ

Spes homines ad grande nefas ut trudat auaros,
Cunctaq; subijciat scelerate sana rapinæ.
Sed tamen est auro leuior iactura sublato,
Regula si uitæ maneat, cur uota resoluunt,
Per quæ multa patres mala declinare solebant,
Quaslibet illecebras mundi, per seua furentis
Toxica, uel firmos procul auertentia sensus,
Cernere ne possint ueræ præcepta salutis,
Dum mirantur opes, & credunt turpe carere,
Instantes demum per fasq; nefasq; parandis,
Paupere cum Christo sibi nil commune relinquunt.
Mancipiumq; rei uilis miserabile fiunt.
Sic ne breuem magno rerum discrimine cogunt?
Fluctibus in medijs scelerum traducere uitam?
Fratribus indicunt connubia uirginibusq;
Nubere conclusis suadent, nullosq; recessus
Permittunt, ubi sit summo seruire tonanti
Libertas, multis temere interdicta per illos.
Qui sibi dissimiles detrudere tramite recto
Et proprijs cunctos immergere sordibus optant,
Atq; ligant laqueis depulsos cælibe uoto.
O rabies scelerisq; furor deuote nefando,
Vnicus hic modus est, in quo perfectio uitæ
Cōstitit, hic grad9 est summus, quē dogmata Christi
Suspiciunt, & nulla uia est securior inter
Dæmonis insidias, hanc unam corpore nobis
Prætulit ipse deus, supra præcepta relinquens
Omnia securam, & quæ sit procul a complexu
Fœmineo uoluit paucis hanc ponere normam.
Quam uelut illicitam uos explosisse uidemus.
Dum stimulat mentem uecors ac fæda libido.

Terrificæq; iuuat stipulam committere flammæ.
An quia uos scabies coquit, & prurigo perurit?
Viuere iam nulli casto licet, ut quia porco
Conditio dura est, pereat sine complice turtur.
Hanc stygio legem sic promulgante tyranno.
Post illam rapido currit sua turba tumultu,
Tam bona proposuit lætali pignora metæ.
Scilicet hoc super est, per quod succurritur orbi
Qui periturus erat, nisi uirgo clausa ruinam
Fulciat humani generis, positisq; cucullis
Liberior uetito nisi ludens monachus aruo,
Pro Christo, totos meretrici seruiat annos,
Summittatq; iugo sensus & colla molesto.
Quod nimium pauci sine certa labe tulerunt.
Vsq; adeo primæ durant errata parentis.
Quærimus hoc saltem, quo tēditur ista potestas,
Per quam tot sanctos patres damnare licebat?
Si deus ut credi tibi uis insignia profer
Digna deo, ut tolli diuinitus acta feramus,
Quæ sancti tenuere uiri, quæ spiritus egit
Diuinus, siquidem Christus promiserat olim,
Quod toto ueniens promissus desuper æuo
Nobiscum mansurus erat, dubitem ne per illum
Condita, quæ nobis sancti statuere tenendum,
Et ne quid dubij uel post sua fata relinquant,
Firmarunt hominum dubias miracula mentes.
Propterea me sic semper uetus orbita ducat,
Quam puero cari designauere parentes.
Quod statuunt homines prælati, dummodo non sit
Aduersum legi diuiuæ, dummodo secum
Pondera nulla uehat scelerum, sim ferre paratus.

Sub duce priuato timor eſt, ne dum mala uito
In peiora cadam, nec ſit diſcernere noſtrum
Quæ bona uel mala ſint, eccleſia ſanciat illa
Quæ noua adinueniens uis me præferre uetuſtis.
Non ea quæ plebs in triuijs clamoſa ſacrauit.
Inter quos melior ui pars perfracta ſilebat.
In licitis obedire uolo mandantibus illis,
Quos tanto ſtrepitu deus in ſublimia uexit,
Vel fore permiſit, quid enim prohibere uelimus,
Quæ patitur qui cuncta poteſt, & cuncta gubernat.
Si quid auariciæ furor intermiſcuit amens,
Et ſi tam multos dominandi feruidus ardor.
Abſtulit, & quæuis faciles in lubrica torſit,
Ne qua parte gradus poſſint firmare labantes.
Si quos, paſtorum prætexto nomine ſæuos,
Cernimus eſſe lupos, & ſi quos forte ſuperbos
Pro patribus dominos, importunoſq; tyrannos.
Sacros indigne ſi qui mercantur honores,
Et rapiunt quæ ſunt uirtuti debita puræ
Viribus aut precio, uel quauis arte maligna,
Talia ſunt quædam uanæ ludibria ſortis,
Et quæ nil animis cœleſti ſede profectis,
Optima ſi teneant Chriſti documenta, nocebunt,
Authoreſq; ſuos tantummodo perdere poſſunt.
Si tamen his etiam longe grauiora ſubirent.
Non ideo tolli & confundi recta merentur,
Nec decet ut cunctis in cuncta licentia fiat.
An ne Lutheranis ideo parere decebit.
In quibus ut taceam, quæ turpi dedita famæ
Sunt probroſa ſatis, nil præter uerba uidemus
Impia, peſtiferum tantum ructantia uirus.

Quæ totis etiam turgent incondita libris.
Qualia lingua mero grauis, accedente furore
Proijcit in uentos, dum iam manus ebria ſeuum
Corripiens ferrum, rabiem ſtimulauit acerbam.
Quæ ſi quis ſenſu ſecum perpendet acuto,
Nil ueræ pietatis habent, longeq; recedunt,
Atq; auerſa procul Chriſti ueſtigia linquunt.
Sed tamen obſequio plebis præclara uidentur
Sæductæ, multis etiam diuinitus orta.
Poſt quæ iam paſſim ſtudijs ingentibus itur.
Sic Antichriſtus ueniet, ſic dulcia ſecum
Afferet, illecebris ſic olim pectora blandis
Molliet inſidias tendens, multoſq; doloſis
Artibus & prauis luſos ad tartara ducet.
    Quas igitur laudes rex Sigiſmūde mereris?
Qui ueluti pelago rupes imperuia uentis,
Fortiter inſultus toleras, fluctuſq; repellis,
Qui tua uicino fremitu præcordia turbant,
Et magno populi paſtorem robore præſtas.
Nec tantum tibi ſunt humana negotia curæ,
Dum pacem præbes populis, ceruicibus hoſtes
Depellis ualidos, quos noſtri cæca cruoris
Fert ſitis in cædes, dum publica commoda curas,
Et tibi ſubiectos æquata lance gubernas.
Sed uirtute pari, ſeruas cœleſtia nobis.
Dumq; caues ne quid gentem uicinia lædat,
Doctores dubios a regni finibus arces.
Hi ſpoliare iubent auro delubra ſacrato,
Et cantus abolere pios, & cerea tolli
Lumina, tu totum perſtas augere decorem,
Templaq; diuitijs longe maioribus ornas,

Vt magis in populo possent augusta uideri,
Firmaq; sancta fides ut successoribus esset.
Hi stolide clamant, sanctos non esse ferendos
In templis, simulachra iubent efferre uetusta.
Tu sanctis ornare nouis delubra laboras
Vera tenens, horum quæ sunt contraria uerbis.
Quanta Hyacinthus agat pandis miracula Romæ,
Germaniq; tui Cazmiri gesta reuoluis.
Et nimium dignos numeris cœlestibus infers.
Hoc precor ut facias, & reclamantibus illis
Templa suo semper tua sint ornata decore.
Non quia templorum summo sit gratius ullum
In terris maiusq; deo, quam purus & omni
Labe carens animus, templum sibi construat intus
Qui gratas uult esse preces, & dignus haberi,
Vt sua uota ferat, tamen & loca quæq; saluti
Quærendæ, dum sint tantis authoribus orta,
Illaq; tam longi dum temporis approbet usus,
Et ueluti quædam fidei incrementa tuetur,
Quis demens authore leui mutanda putarit.
Vt non firma satis proprijs in ritibus essent,
Et sanctos quoscunq; sua non sede tenerent.
Nam deus omnipotens illis sua facta ministris,
Immensa bonitate gerit, uulgatq; per orbem.
Nomina ut illorum magnis celeberrima gestis,
Hortentur miseros mortales, qua sit eundum,
Quod meditemur iter, tandem ut ueniatur ad illos
Altaq; tendatur per Christi dogmata, cœtus.
Sic saltem cupiens duras intendere mentes,
Vt magis illorum se per suffragia tollant.
Hos etiam nostros clemens conuertit in usus,

Qui quando cœlum terras & cuncta creabat,
Diuerſis adeo compleuerat omnia rebus,
Per quas illius ſumma bonitate fruamur.
Vimq; ſuam paſſim diffudit, ut omne creatum
Nonnihil humano generi prodeſſe ualeret,
Sitq; nihil rerum, quod non ſua commoda ferret.
Sydera ſemper agunt, & terras ignea luſtrant
Viribus occultis (ut iam pauciſſima quædam
Commemorem breuiter) reddũt ſua dona uolucres,
Piſces atq; feræ, tot fructibus atq; metallis,
Ipſa ſuis tellus cultoribus undiq; prodeſt.
Ligna ſuum robur ſequitur, gemmæq; colorem,
Commendant uarijs effectibus, exiguus flos
Herbaq; marceſcens, aliquid uirtutis habere
Prætendit, redimitq; locum quem ueſtit in agro.
Cultoriq; ſuo gratam ſe reddere curat.
Et nihil eſt quod quis fruſtra putet eſſe creatum,
Et quod non hominis manifeſtos tendat in uſus,
Vſq; & ad angelicos ſi cœtus cuncta reuoluas.
Hi nequeunt ſoli, propter quos omnia fecit
Omnipotens, quibus ille uigor ſe plenius infert,
Supplicibus prodeſſe ſuis, ſoloſq; ſequetur
Illos diuini communio nulla uigoris,
Qui ſunt unius cum Chriſto corporis artus.
Propter quos alto delabens æthere uenit,
Seq; indigna tulit terdenos anxius annos.
Vtq; illis plenos dilargiretur honores,
Viſus erat duro protendere brachia ligno,
Diductos clauis artus, in mæſta leuauit
Aera, quo terras aer circunfluus implet.
Sol tenebras amplexus erat, telluſq; tremore

Terribili montes diſiecit, conſcidit altas
Ingenti ſonitu rupes, & dura reſoluit
Marmora, cum domini eſt ſacro contacta cruore,
Membra creatoris quando morientia ſenſit
Sæuis immixti latronibus, illa profecto
Illa dies fecit, quod nunc miramur in iſtis.
Quæ nunc ferre etiam non poſſumus, atq; nefanda
Carpimus inuidia, ne nobis commoda ferrent.
Pluſue poteſt uobis marcens urtica receptis.
Viribus ex alto concedere, matre tonantis?
Aut alĳs quorum ſemper benefacta uidemus?
    Fruſtra nos certe fruſtra furor impie terres,
Ne ſuperis ſedes intra delubra daretur.
Niteris inuanum iunctos abrumpere Chriſto,
Quos aſtrinxit amor uehemens, imitatio uitæ
Aſpera, quos fuſus pro mundi crimine ſanguis,
Reddidit excelſos, quid deturbare laboras
Motibus inſanis, quid ſtultos concipis ictus
In Chriſti corpus, ſummiq; in uiſcera patris,
Dum ſibi conſortes æternos lædere pergis.
Si quid in anguipedum confers exempla gigantum,
Qui uoluere deos alto depellere cœlo.
Horriſonum metuas fulmen quod triuerat illos.
Nos uero ſimplex populus, noua cuncta peroſus,
Quæ ſancti docuere uiri, teneamus oportet
Ne mentes aliquando uagas, malus occupet error.
Si tandem ſigno fuerit diuinitus acto
Perſuaſum, ſubito quæ ſunt meliora ſequemur.
Hæc tamen optima ſunt, ſi rerum ceſſet abuſus.
Si non quæramus per quæ iugulemur adepta.
    Plura ſed hic forſan quam res expoſtulat egi,

Hos etiam præter mentem manus attigit ægra,
Quorum pectoribus communia toxica feruent.
Ipſa tamen celeri curſu portenta reliqui,
Nam ſtultus certe labor hic & cura fuiſſet,
Quos non ſanctorum longe exactiſſima patrum,
Scripta mouent, horum uerbis tentare ruinam
Velle ſuperuacuis auertere, nulla profecto
Eſt ratio, ſatis eſt non conſenſiſſe furori.
Hic tantum uolui de ſanctis ſi qua liceret
Dicere pauca uiris, Hyacintho ne quid obeſſet
Quo minus in templis quæ nobis multa locauit,
Fundatorq; fuit primus, ueneremur & ipſum
Cum deus illius ſit maximus author honoris,
Quem gens noſtra & ſi ui depellatur adorat,
Tantum ſe meritis tam longo tempore fecit.
Quæ uel nunc etiam, nunquam ceſſare uidentur.
Sed te Chriſtophorum, per quem Silouetia magnis
Omnibus eſt æquata domus, clamore monemus
Totius populi, nihil ut de more remittas
Conatuq; pio, uel ſi potes acrius inſtes,
Ne tanti monimenta uiri neglecta perirent.
Quæ nimis indigne multos latuere per annos.
Te conſanguineum iam publica uota fatigant,
Sollicite q; rogant, dum Cancellarius huius
Atq; Palatinus regni ſupremus haberis,
Hanc grauidis cupias humeris ſuperaddere curam.
Inuitat Clementis ad hoc clementia Papæ,
Spondeo id expertus, non eſt peruincere durum,
Si ſatis hæc norit, quæ nos manifeſta tenemus,
Hunc ut legitimis ſanctum ueneremur in aris.

Me uero proprij cogit uiolentia caſus,

Venturum uotis etiam præuertere tempus,
Et populo miſcere preces, ſed pectoris alto
Cætera receſſu, claræ permittere uoci
Hoc ſatis, o quantum es miſeros audire paratus,
Diue Hyacinthe tuo qui ſpem de numine ducunt.
Reſpice me geminis pariter langoribus ægrum,
Hinc animum peccata grauant, hinc effera corpus
Vis onerat morbi, breuis eſt iactura ſecundi,
Sed uir ſancte tibi ſim commendatus utroq;,
Diſparibus uotis. Nam ſi nocitura uidetur
Alterius quæſita ſalus, hac parte dolores
Quæ quamuis ualeat, cito ſit peritura, recumbant.
Illam fortunæ quæuis tormenta fatigent.
Si tamen abſq; graui damno, res utraq; poſſet
Robur habere ſuum, ſub conditione uocatus
Profer opem precibus lapſos in corporis artus
Erumnaſq; meas cœleſti comprime nutu.

AD LECTOREM.

Hoc opus exegi medicis prohibentibus æger,
Forte rogas Lector candide, cur id agam.
Cur caput inualidum turbare laboribus auſim,
Vt morbus uires augeat inde ſuas.
Agmen adi ſcythicum quod uinctum cernis in arce
Quæreq;, quid medio ſæpe labore canunt.
Quid ſuſpirantes patriam, pharetraſq; ſagittis
Excuſſas, modulis compedibusq; ſonant.
Sic ululans quem uis captum tenet horrida morbi,
Triſtia qua poſſum tempora uoce leuo.
Verbaq; ſed morſu Limæ non trita coëgi
Nil cupiens in eis maius habere fide.
Nec mirum fuerit ſi quæ uitioſa relinquit
Mens onerata ſuis & prope fracta malis.

Fol. 4. pro, q; iuuante Maria, ſcribendum genitrice iuuante. Fol. 1. b. pro pondere pondera. Fol. 4. b. ubi præripiens ſit proripiens.

In ædibus Hieronymi Vietoris. Anno domini 1 5 2 5.



